

esse vnum & idem, & hæc omnia nos comprehendere & simul intelligere, cum asserimus nos morte Christi iustificari.

Esse autem nos Christi morte iustificatos, ita vt nobis omnia peccata sint remissa, & plena Christi pro iis satisfactio nobis imputetur, Scriptura innumeris locis docet, præcipuè id confirmat Paulus, & ex professo contra Pseudoapostolos & Euangelii gratiæ Christi hostes euincit, in epistolis suis quas ad Romanos, ad Galatas, ad Ephesios, ad Colossenses, ad Hebræos scripsit. Ioannes Apostolus in prima sua epistola capite primo, v. 7. Vnicum salutis nostræ fulcrum ponit *mortem Christi*, cum ait: *Sanguis Iesu Christi filii eius, purgat nos ab omni peccato.* Cui astipulatur Petrus prioris suæ epistolæ, cap. 1.18. *Scitis, inquit, vos nõ caducis rebus, auro aut argento fuisse redemptos ex vana vestra conuersatione, sed precioso sanguine, utpote agni immaculati & incontaminati, nempe Christi.* Plura testimonia vide Esa. 53. 5. Matth. 20. 28. & cap. 26. 28. Luc. 24. 46. Ioan. 1. 29. Rom. 4. 25. & cap. 5. 9. cap. 6. 10. & cap. 8. 3. 4. Heb. 9. 22. Coloss. 2. 14. &c.

Quærat hic aliquis, quomodo hoc sequatur, nos iustificatos esse, quia Christus mortuus est? Resp. ita sequitur:

Si 1. teneatur, *mortem esse stipendium peccati*, Rom. 6. 23.

2. Christum mortuū esse, nõ ob aliquod suum peccatū, quia quæadmodū sine peccato est conceptus, sic peccatum nunquā fecit, nec inuentus est dolus in ore ipsius, teste Petro, 1. Petr. 2. 22. ipso etiam iudice apertè pro ipso pronunciante, cum dicit, *Non inuenire se in eo crimen*, Ioan. 19. 6.

3. Deum patrem coniecisse in eum omnia peccata nostra, Esaia 53. 6.

His positis concludere iam & colligere promptum est: quia Deus peccata nostra morte filii sui tanquam Mediatoris multauit, certum est, eum omnium eorum fuisse probè memorè. Quomodo enim magis eorum meminisse potuisset, quam dum sanctissima anima à purissimo corpore eius, propterea summis cruciatib. est auulsa? Quoniam ergo in mediatore Christo, peccatorum nostrorum Deus memor fuit, eaq; multauit: non iam iterum, quæ eius est fidelitas, & immutabilis iustitia, in nobis ea vel recordabitur, vel vlciscetur. Fædus enim gratiæ inter Deum & nos morte Christi Mediatoris nostri, ita est confirmatum, vt solidius confirmari non potuerit. Ipso enim moriente, moritur ipse testator, quo mortuo, bona in fædere seu testamento nobis promissa vel legata, negari nobis nullo modo possunt. Nunquam igitur peccatorum nostrorum recordabitur Deus, nunquam quicquam in ira aduersus nos aget, postquam iram suam plenè & sufficienter in filium suum sponforem & liberatorem nostrum, semel effudit. Iustus enim est, nec duplicem pro vno debito solutionē à nobis exiget. Testimonia æterna huius peccatorum dilectionis præclarissima habemus, Esa. 54. cap. toto, quæ propterea, à propheta vaticinio, seu historiæ potius de passio-